

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0255

0253

0259

0249

0264

0244

0304

0204

0354

0154

0754

243

ideo oportebat eos cogere vi. Successu ergo temporis diversae dissensiones in Jerusalem sunt ortae inter Sarracenos Christianosque, et gravabant Sarraceni Christianos multis, a quibus gravaminibus saepe liberati fuerunt per imperatores. Unde anno 670. Constantinus tertius, licet vir esset pessimus, tamen septies liberavit civitatem sanctam et dominicum sepulchrum ab oppressione Sarracenorum. Et post eum Constantinus IV. multas molestias intulit Sarracenis in Jerusalem et alibi, ubi Christianis infesti erant. Verum tamen dominium super Jerusalem tenuerunt Sarraceni, nec poterant jugum graecum imperatores nostri tollere a civitate sancta. Anno Domini octingentesimo tertio, tenente imperium Carolo Magno et christianissimo, erant Christiani in Jerusalem et in toto oriente in tribulatione magna sub paganorum jugo et ingemiscientes postulabant auxilium a Constantino VI. hujus nominis, imperatore constantinopolitano, et ab Irene, ejus matre. Sed quia Graecorum virtus et potestas debilitata nimis fuerat, auxilium tribulatis suis viribus praestare non poterant. Eo tempore Leo, Papa tertius, Carolum Magnum, Francorum regem, pro suis meritis egregiis Romani imperii dignitate, quae quingentis fere annis a Constantino Magno fuerat amissa et iam nimia vetustate oblitterata, magnifice sublimavit et imperium occidenti restituit.

Carolus autem, Augustus appellatus, imperatorum nomen dignitatemque suscepit et imperavit annis 14, mira gessit in toto terrarum orbe suaeque genti, Germanis, gloriam et honorem attulit. Erat etiam Carolus iste theutonicus, sicut manifeste patet per eam venerabilem declarationem et . . . . Decretalium, ubi dicitur in textu: Apostolica sedes Romanum imperium in personam magnifici Caroli a Graecis transtulit in Germanos. Et in Appa. 2. idem dicitur. Legitur etiam in chronicis, quod cum ecclesia Romana opprimeretur a Longobardis, petiit Papa auxilium a Constantino et Leone, ejus filio, imperatoribus constantinopolitanis. Et cum nollent patrocinari ecclesiae Romanae, transtulit imperium Romanum in Carolum Magnum, filium Pipini, quem ipse substituerat Ludovico regi Francorum, quem deposuerat.

\*16\*

Ende

Anfang